



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Neapolitana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)

PROVINCIA
NEAPOLITANA.

DOMVS PROFES-
SORVM.



ROSEQVEMVR his litteris & vna, eademque narratio ne, quæ in hac Prouincia gesta fuere annis tribus, nimirum hoc anno 1599. & duobus præcedentibus 97. & 98. de quibus aliàs nihil perscriptum fuit. Sunt in hoc domo Socij ad sexaginta, quorum Sacerdotes quinque, & triginta, cæteri ex domestico ministerio. Migrarunt è vita nouem, in his quatuor Sacerdotes, & quidem tres potissimum historia digni. Primus Pater Gaspar Aiuodus Anglus quartum votum professus, anno 1571. vir insigni probitatis laude conspicuus, qui multis olim in Anglia diuturni carceris ærumnis pro Religionis veritate perfunctus, tandemque afflicta valetudine huc appulsus, mortis potius dolores, quàm vitæ spatium producebat. Alter P. Ioannes Franciscus Araldus vir spectatæ virtutis, & antiqui officij, cuius vnus virtus multorum nobis in hac vrbe benignitatem, ac benevolentiam conciliauit

ciliauit. Tertius P. Blasius Carpelionius quarti voti socius ab anno 1598. Is cum acerbissimo laterum dolore, atque stranguria per multos annos laborasset, nec sine magno patientiæ, & virtutis exemplo tandem vesicæ sectionem, vltimum remedium expertus, in summo dolore constantissimus vir interiit, post varios Collegiorum Rectoratus insigniter obitos, huius etiam domus Præpositura perfunctus.

QUINQUE in hac domo externorum Sodalitia celebrantur, eaque optimis institutis ciuium pietatem fouent, ac promouent. Vnum Deiparæ Natalibus sacrum maximo nobilium virorum, ac Principum cætu frequens. His præter cætera pietatis munera illud est solemne in primis, vt corrogata, vel inter sese, vel aliunde pecunia, ijs potissimum pauperibus opem ferant, quos generis honestas inopiam vulgare non patitur. In hos ferè vsus mille quot annis, & quingenti aurei erogantur. Alterum Annunciata Virginis nomine insignitum forensis turba patronorû, tabellionum, scribarum, & qui ex eo genere sunt frequentant, numero circiter octoginta. Tertium Assumptæ Virginis appellatione, mercatores, atque honestioris conditionis opifices ad centum quinquaginta complectitur. Quartum, quod è clericis constat, & à Purificata Deipara nuncupatur, quinquaginta Sodalium numero cæsetur. Apud hos magno Reipublicæ bono sermones de rebus diuinis haberi solent. Proponuntur etiam conscientiaë quæstiones, de quibus ipsi vtrò citroque conferant, differantque magno cum fructu. Ab his præterea semper aliquid opis, atque operæ impertitur malè valentibus in Nosocomio, quod insanabilium vocant. Est & quinto loco instituta quædam Sodalitas, quæ nomen habet à Virgine Angelorum. Huc omnes familia, atque affleclæ, famuli que nobilium virorum, qui primum illud Sodalitium celebrant, ne dominos otiosè præstolentur ad ianuam

nam, seorsum conueniunt, habentque suum à Nostri institutorem, qui ipsos ad officia pietatis erudiat. Iam qui ex summo Sodalitio sunt, præcipuum Christianæ pietatis studium egregiè profitentur. Argumento sunt res ab illis gestæ dignæ memoria posteritatis. Cum quidam Episcopus Sodalium inuitatu ad aram Sodalitij faceret, iamque celestem de more panem singulis impertiret, aderat diuino conuiuio Sodalitii quidam Episcopo propter veterem similitudinem iratior, qui tamen ab illius manu celestem animorum conciliatorem accipere non grauatus, mox peractis sacris, inspectantibus, qui aderant, nobilissimis viris, ad Episcopi pedes accidit, seque accusans diurnæ alienationis, veniam deprecatur, profusa vi lachrymarum. Episcopus in amplexus hominis ruens incredibilem tanti viri demissionem erubuit, statimque subleuatum humo in intimos animi sinus excipit. Fuit ea res hoc maiori exemplo quo inferior videbatur illius viri dignitate præstantis tantam submissionem. Alter non minore exemplo, grauissimis criminibus per summam iniuriam infimulatus, & ea re in tetrum carcerem, secretumque ab omni hominum commercio coniectus, iniquissimam calumniarum improbitatem ita pertulit, vt in eos ne vocem quidem asperiores emiserit, quinimo summam carceris solitudinem, non tam moeroris incitamentum, quam piarum meditationum illecebram habuit. Ad extremum perspecta hominis innocentia calumniam prodidit, & insigne patientiæ documentum dedit. Est & illud in more positum apud hos Sodales, vt singulis annis eodie qui sanctæ Magdalensæ sacer est, sumptuosissimum epulum dent ægrotantibus in quodam Nosocomio amplius octingentis hominibus, idque tam liberaliter, & abundè, vt ex epularum reliquijs ad multos dies Nosocomio suppeditetur non mediocre alleuamentum inopia. Adhibent ad conuiuium symphoniam è lectissimis

vocibus

vocibus. Adfunt eo die discumbentibus ægris nobilissimi
 quique de Sodalitio ad ministrandum accincti, nec vllam
 in tam humili ministerio partem obsequentissimi famu-
 latus omittunt, & habet sane speciem eximiam pietatis,
 Christianæ submissioni tam ingenuè micipara nobilitas.
 Dato epulo singulis ægrotis sua datur subucula quod ta-
 men anno 1599. factum non est, & is sumptus aliò cessit:
 empti enim sunt ægris quindecim lectuli, ad quos etiam
 pro tempore instruendos Sodales ipsi lineam, laneamque
 vestem abundè suppeditant ex armario, quod ibidem in
 hunc vsum asseruant. Exhibent præterea semel in hebdo-
 mada familiare conuiuium, hoc est minus opiparè com-
 paratum, idque etiam vniuersis ægrotis eiusdem hospitij,
 cuius insuper duos tantum ordines, in quibus centum &
 quadraginta censentur, bis in hebdomada pascunt. Porro
 eorum, qui è vita migrarint, animas piacularibus quoque
 sacrificijs adiuuant, pro singulis enim puta quadragenis
 in mensam rem diuinam habendam curant ad aram pri-
 vilegio insignitam. Ex hisce Sodalitijs multi ad varias re-
 ligioforum familias se recipiunt.

NON est silenda dedicatio nostri templi ab Illustris-
 simo Cardinali Iesualdo, huius vrbs Archiepiscopo fa-
 cta, illustri pompa, maximaque ciuium frequentia res
 acta est, pridie eius diei, qui Assumptæ Deiparæ sacer est.
 Eam celebritatem nonnulli sacrorum Antistites honesta-
 runt, multiq; ciuium Principes, atque Reguli. Neque ap-
 paratus templi quicquam vulgare habuit. Aedes tota lu-
 minibus auroque fulgebat: aræ imprimis, quæ apparatusis-
 simo ornatu præciosæ suppellectilis conuestita, imposi-
 tis ad spectaculum lectissimis plurimisque sanctorum
 corporum reliquijs, miram, & pietatis, & magnificentia
 speciem præferabant. Inuitabat frequentiam largissima
 peccatorum venia, summi Pontificis concessu indicta v-
 niuersis, qui eo die templum nostrum inuiserent. Matutina
 concio

concio, vespertinaque de more habita per eos dies solemnius, præmissis vocum, neruorumque concentu. Producta est in tertium diem sine vlla satietate celebritas, adhibita quadraginta horarum comprecatione, tanto studio populi, vt multitudinem ædes ipsa, quæ amplissima est, non caperet. Nec exiguus fuit eorum numerus, qui se sacris mysterijs expiarunt. Prorex cum frequentissimo Principum comitatu & sacris, & concioni interfuit. Ipsum verò ædificium templi, cum nondum ad apicem peruenisset tale specimen futuri fastigij repræsentabat, vt iam tùm inuidiam superaret. Nemo enim nostro ordini tam infensus fuit, cuius non aliquam nobis laudem, approbationemque conciliauerit tantæ molis aspectus. Audires aliud sonare vulgi rumores, quam quod antea murmurabant, non eos iam nos esse, qui putamur à populo homines reconditæ auaritiæ, & priuatis commodis opiparè consulentes, iam tandem apparere qui simus, quos in vsus rei pecuniariæ, si quod est in nobis studium, conferamus, quantò nobis antiquior sit cura publicæ quàm priuatiæ utilitatis, aliaque huiusmodi.

I A M verò concionum fructus haud paulò, quàm antea copiosior. Abductæ mulieres à fœce prostibuli vna & viginti; ereptus vnus à præsentis periculo prostituendæ sororis propter æris alieni difficultatem. Totius vitæ confessiones auditiæ quamplurimæ. Qui nautico supplicio plectuntur in vinculis adiuti frequentibus concionibus, & salutari ope piarum confessionum. Publicæ custodiæ sæpe aditæ spiritualis auxiliij causa: hinc forte cum quidam admoneretur à quodam è Nostris vt peccata confiteretur, idque se ille facturum aliquandiu pernegasset, instare Noster, hortarique hominem vt Deiparæ subsidium imploraret, alia subinde ad rem subijcere, ac suadere, quibus ille paulisper recogitatis, subitò discedentem iam hortatorem reuocat: se iam in animum induxisse

confiteri peccata : affulſiſſe enim ſibi cùm hortationem audiret, radium quemdam, qui animum ingenti ſplendore compleret ſuum, & ad monita capeſcenda facere molliorem.

TRES à conſuetudine pellicum ad honeſtatem traducti. Quædam quæ ſæpius viro ſuo venenum dederat ſine effectu, ab eiſdem conſilij pertinacia reuocata eſt. Multorum etiam inopia pio ſubſidio ſubleuata. Sedatæ graues inimicitia, quarum multæ ad incendium, cædemque ſpectabant; : nonnullæ etiam inter maximè neceſſarios, non ſine magno periculo intercedebant. Libri de rebus magicis, ijque pernicioſiſſimi flammis dati. Quidam libidine incitante ad inſaniam prolapſus, iam ſe cuiſdam Mago deuouerat, per quem ſperabat ſe voti compotem factum iri, qui tamen conſilio Noſtrorum ita reſpuit, vt magum etiam ad bonam frugem perducere conaretur. Neque nihil ad Dei gloriam pertinet, quod ex omnibus cœnobitarum ordinibus multi nos de maximis rebus conſulunt, ſiue quid ferendum ſit auxiliij proximorum ſaluti, ſiue quid inter eos domeſticæ difficultatis exortum ſit : quo de genere effectum eſt interdum à Noſtris aliquid, quod eſſet operæpretium. Spiritualia quæ nos dicimus exercitia magno Noſtris adiumento fuere ad ſtudium religionis augendum, nec pauci ſunt qui ſacri Adnentus ieiunia ſponte ſuſcipiant, obeantque.

NEQUE interim deſunt ad cumulandos patientiæ theſauros diuini prouentus. Ipſa enim illa nocte, quæ diem nobis ſolemneſſimam Circumciſi I E S V Domini conſecuta eſt, templum noſtrum repente excitato (nec certum vnde) incēdio conflagrauit, ne minima quidem parte ſacræ veſtis incoluni, quæ adhuc tota erat in apparatus ædis expoſita : neque parum negotij fuit flammam latè omnia depaſcentem à noſtris ædibus prohibere, quod miraculo factum putant. Aſſimatio iacturæ octo milium

lium

lium circiter aureorum fuit, cuius aliquam nobis partem
 piorum hominum benignitas compensauit. Non ita
 multo post, aliud in nos multò sauius excitatum est in-
 cendium popularis inuidiæ. Est in hac vrbe nobilis quæ-
 dam, & luculenta sanè familia Franciscanorum. In eorum
 templo imago quædam uisitur Deiparæ Virginis, cui vul-
 gare cognomen à gratijs: hanc miracula cœpisse iam
 edere nescio quo multitudinis errore percrebuit, & iam
 prima huius aura rumoris ciuitatem commouerat. E-
 rant quotidiani hominum concursus frequentissimi ad
 cœlestem benignitatem votis, ac muneribus redimen-
 dam. Archiepiscopus metuens, ne quid commenti habe-
 ret negotium, certos homines constituit, qui de tota re
 diligenter inquirant, mox quæstionem ritè exploratam in
 tabulas referant. Quo factò sexaginta Theologos, in ijs
 tres è Nostris aduocat, qui super ea re cōsulant, pronun-
 ciantque, quid fidei sit habendum argumentis miraculo-
 rum. Statuunt non esse vera miracula, quòd cum illicò
 iussu Præsulis promulgatum esset in omnibus vrbis tem-
 plis, vulgus audita miraculorum inanitate, indignè ferens
 iudicium abrogari suum, in nos potissimum furere tan-
 quam primos illius promulgationis auctores. Erat enim
 constans iam fama, Nostrorum consilio plurimum uti
 solere Præsulem, quò faciliùs in nos omnis illa profliga-
 ta quæstionis inuidia redundauit. Vulgi furorem maxi-
 mè incendebat is rumor, qui vrbem peruaserat, nos ho-
 mines pecuniarum amatores, imaginem quæ tam egre-
 giè miraculorum lenocinijs alienâ benignitatem allice-
 ret, nobis querere, ac deposcere, quæ opinio eò processer-
 rat, ut palam omnes edicerent, constitutum nobis esse
 certum diem, quo die vesperi ad primam noctem imagi-
 nem inuolaremus. Quo factum, ut ad eam ipsam diei ho-
 ram armatorum manus ad Franciscanos concurrerit, ut
 eos contra Nostrorum impetum tuerentur. Hic ubi ali-

quandiu in præsidio statum, nequicquam expectato Nostrorum agmine, quidam è turba in clamans, Ergo, inquit, eorum incurfio nobis prius, quàm nostra illis repellenda est? quin priores irrumpimus, & in eorum cæde bacchamur. His dictis simul præibat ipse sceleris ductor, nec seignius ad eius vocem, ductumque concitata multitudo aciem in nos mouet, cum viri cuiusdam nobilis intercurfu, atque auctoritate retardatus tantam in nos armorum sæuitiam non exercuit. Cæterum conuicijs, probrisque non parcere, nec dicto vlllo abstinere, quod modò nobis contumeliosum foret. Per urbem ingredientibus Nostris scommata, probraque passim obiectabat multitudo, pudore contempto. Ipsæ puerorum cateruæ nostram domum prætercurrentes sublatis in fenestras oculis clarissima nos contentione ludificabantur. Quæ omnia tã liberè, & impunè fiebant, quasi qui nos oppugnarent, Numinis causam agerent. Ad hæc Nostrum vnã animi æquitatem opponere, donec oborta inuidorum animis luce veritatis, vis illa turbulentissimæ tempestatu euanuit. Sæpè alias obtrectatorum malevolentia restitum à Nostris ea moderatione, quæ ad tuendam religionis laudem idonea videretur.

N E C tamen si vexamur interdum, idcirco gratiam, studiumque optimi, & nobilissimi cuiusque desideramus. Est enim planè incredibilis erga nos omnium ferè ciuium liberalitas, cuius æternum erit monumentum augustissimi templi moles ipsorum nobis beneficio brevissimo tempore iam effecta cum summa spe celerrimæ confectionis. Quæ porrò benignitate aras nobis vestiant, sacrarium locupletent, familiarem inopiam subleuent, nullus esset dicendi finis si enarrare vellem: tantum enim abest omnis exilitas, omnique tenuitas, vt verendum sit, ne munerum magnificentiam abijciat consuetudo, & copia. Nos interim ad eorum pietatem, vel fouendam, vel augendam

gendam, semper noui aliquid commentamur. Tam enim in templo nostro præter solemnes conciones explicatur etiam festis diebus magna populi frequentia Catechismus, iugi animorum emolumento. Idem quandoque factum in celebri quodam suburbio pari fructu. Pagos etiam de more peruagata est Nostrorum salutaris industria. Multis concionandi labor, multis priuata de diuinis rebus colloquia profuerunt ad expiandas animi labeles. Nec nihil operæ nauatum est Clericis explicandis conscientiaë quaestionibus. Fuit præterea utilissima compluribus, ijsque principibus uiris spiritualium exercitiorum communicatio, atque traditio.

QVODAM in uico nobilis uiri filius, qui erat eius uici dominus, grauiter ægrotabat, destitutus omni uenarum pulsuis adiectis corpori imaginibus Beati N. P. Ignatij, & B. Xauerij, statim reuiuiscens ad motum arterijs melius habere cœpit, & iam uitam qua fruitur Beato Parenti nostro acceptam refert.

ITVM præterea Christianæ rei causa Caietam, in urbem huius regni celeberrimam. Hic à nostris aliquandiu concionibus, confessionibus, cæterisque Societatis nostræ muneribus multum operæ datum, tanto ciuium ardore, ac studio, ut præstitutam reuersionis diem Ciuitatis postulatu proferri oportuerit. Personabant matutinis uespertinisque concionibus urbis templa, suburbia frequentissimis ubique conuentibus, nec exiguus fuit numerus confitentium totius uitæ peccata. Sublata collusorum conuenticula, consuetudoque multorum flagitiorum abolita, quæ animis inoleuerat. Iniuriæ quæ ab hominibus acceptæ erant Christo donatæ. Odiæ sedata duorum, qui obstinauerant animis uicisci ferro cædem duorum fratrum. Quidam graui diuturnoque afflictus morbo, cum apud unum è Nostris peccata confessus esset, ab eoque sanctum B. Nicolai manna ipso die festo eiusdem

Sancti acceptum hausisset, nocte insequente leuatus est morbo, qui cum deinde ex curationis negligentia recidisset in eandem morbi molestiam, repetito eiusdem sacri liquoris hausta penitus diuina ope conualuit. His rebus fuit ita grata Caietanis Nostrorum missio, vt continuo nobis sedem in ciuitate decreuerint.

COLLEGIUM NEAPOLITANVM.

NVMERANTVR in hoc Collegio viginti supra centum è Nostris, quorum sex & viginti Sacerdotes. Ex his duo Theologiam docent, totidem conscientiae disciplinam, horum verò alter sacras quoque litteras profitemur. Philosophiam tres è Patribus, vnus scientiam quæ de moribus est, qui simul & Mathematicam tradit. Grammaticæ præceptores, præter vnum humanitatis, quatuor, ex quo vltima classis propter discipulorum multitudinem geminata est.

DIEM suum obièrè sub florem iuuentutis duo Sacerdotes, vnus è fratribus, omnes lenta tabe consumpti. Erat is qui frater, insigni probitate, atque ingenio, obedientiae potissimùm in eo ita virtus eluxit, vt superiores dicerent se in illo tractando satis expertos esse facilitatem versandi viuum cadauer, ei nomen erat Ioannes Andreas de Vicarijs, obiit in patria apud parentes patrij vici dominos, eò ad natale coelum curationis causa dimissus. Porrò Sacerdos qui illum eò duxerat, altero fratre comite: mansit aliquamdiu in iisdem locis, vt rudiorum ingenia, moresque Christianis rudimentis excoleret. Et quidem industriæ fructus constitit: multi enim sacramentis animos recrearunt, quod eo tempore miraculo illis gentibus fuit, quibus anniuersarium Ecclesiae morem
tam

tam sedulo anteuertere prodigium videbatur.

FRATRES ad vrbis compita concionabundi diebus festis egrediuntur, vnde sæpè in ædem nostram cæteruas reducunt hominum quos ipsi ad confitenda peccata induxerint. Ea res populum benè afficit, nobisque conciliat. Accidit enim aliquando, vt cum frater è Nostris vagaretur in foro, locumque aliquem editiorem concionis causa captaret, si qui circulatores non statim loco cessissent, deturbarentur à populo: mox ibidem ingruente pluuia transferri concionem in proximum templum omninò voluère qui aderant. Ad extremum multi concionatorem ad ædem vsque nostram sunt profecuti, vt animorum maculas confessione detergerent. Conspectus inter hos vir quidam amplissimis perfunctus honoribus, qui famulis certo loco subsistere iussis luce palam per celeberrimas vrbis vias inter infimæ sortis homines concursaret. Sublata etiam dissidentium odia neci proxima, iamque mentibus in mutuam cædem inimicis erepti gladij, factumque Nostrorum opera, vt auctor discordiarum, qui recentem iam iniuriam ferro persequebatur, eam in ipso vltionis articulo condonaret. Deletum & aliud inueteratum animis diuturnitate dissidium. Qui ad nauticum seruitium in catenis habentur multum Christiana ope iuuantur: nec eos qui in custodia detinentur, quoad ratio nostra postulat adiuuare desistimus: effectum vt ab ijs liberiora muliercularum commercia prohiberentur, qui que alios consuetudine deprauarent, in arctiorem carcerem compingerentur.

GYMNASIA celebrantur hoc tempore, vt cum maximè. Septem in hoc Collegio Beatæ Virgini Sodalitia militant: duo quæ ex discipulis, quorum alterum è natu maioribus constat: alterum è minoribus, reliqua ex omni genere hominum imperitorum; & summa quidem Sodalitas, cui à Concepta Virgi-

ne nomen est, trecentorum numerum complet: eorum institutio ad pietatem novis quotidie incrementis augetur. Quadragenarum horarum comprecatio de more quater haberi solet pari pietate apparatusque. Mos praeterea inductus, ut omnes sexta quoque feria flagro corpus afficeret, idque ad spatium temporis non exiguum, singulis etiam hebdomadis quarto die, solemniter ritu Xenodochium, quod vocant insanabilem aegrotorum, inuisit. Hic lauto conuiuio aegris dato, eorum quoque animos quaerente concentu delinunt, quaerente spiritualium sermonum pastu reficiunt. Videre licet hoc loco iucundum sane Christianae dimissionis cum saeculi nobilitate commercium. Sodales enim quamuis nobiles, vel honesti discumbentibus aegris ad omnia ministrant, ac praesto adsunt famulatumque ritu: non illi aegrotorum pedes abluere, non lectos sternere, non solum verrere, non patinas, ollasque purgare vel fastidiunt, vel erubescunt. Nec virorum Sodalitio sua defunt incrementa virtutum. Eorum vnus colapho percussus in publico loco tantum abfuit ut grauius irasceretur, ut etiam ab eo qui se tam grauius leserat ignosci sibi postularet, si quo vel facto, vel dicto talem contumeliam prouocasset. Ex his in nostrum ordinem nouem adlecti, in alias Religiosorum familias septemdecim, ex reliquis vero Sodalitibus ad nos vnus, ad alios coenobitarum ordines quindecim se receperunt.

NEQUE suis clientibus caelestis Patrona defuit, deploratam salutem multis inuocata restituit. Imminentem ab inimico cuiusdam iugulo mucronem auertit. Cuidam manibus, pedibus, membris omnibus capto, & praepedito visa sapientius animum ad spem bonam erexit: futurum enim ut conualesceret, neque aliter factum. Alter cuius os foedum in morem intumuerat, cum ab impijs hominibus incitaretur ut a veneficis opem peteret, nefarium consilium auersatus, tantum IESV, Mariaeque nominibus ter

bus ter inuocatis ad oris tumorem signum crucis appref-
 fit, itaque statim conualuit. Alius ex editissima parte do-
 mus professæ delapsus ad ruinam lignæ machinæ Dei-
 param inclamans, incolumis defertur ad terram exceptus
 in subiectam calcem, ex qua tamen leuiter ambustus absi-
 luit. Nec obscurum habet miraculum liberata cuiusdam
 salus ab ingruente periculo. Is infestissima armatorum
 iuuenum corona circumdatus, dum in summa effugij de-
 speratione B. Virgini se commendat, statim ab ignoto
 quodam homine manu præhensus, tractusque in ædes
 suas, quæ proximè aberant introducit: hic hominem
 adhuc trepidantem vir ille ignotus admonet, vt timorem
 deponat, quo dicto statim euanuit.

DOMVS PROBATIONIS.



LVIT hæc domus his tribus annis circiter
 quinquaginta Nouitios: mira omnium fuit ad
 obedientiam indoles, eaque suis incrementis
 adulta vberimos fructus tulit. Quidam pa-
 tris ad se aduentantis aspectum signo crucis exhibito
 abominatus est. Alius occurrentem sibi matrem tantum,
 vt aspiceret, exorari non potuit. Adolescens quidam no-
 bilis, idemque ditissimus, multorum aureorum donatio-
 nem sibi ea conditione oblatam ne in Societatem ingre-
 deretur, magna animi æquitate reiecit. Idem postea in
 Societatem receptus, cum ex altero oculo grauius labo-
 raret, serpente in dies morbo vtrumque oculum amittere
 maluit, quam à semel inita religione deficere. Denique
 elucet in omnium moribus mira contemptio humana-
 rum rerum. Nonnulli vt in domestico famulatu vitam si-

bi ducere liceat, ardentem efflagitant, eorumque interdum postulationi verbo indultum, & re etiam in speciem, ut salutaris animi submissio conseruaretur. Quidam accepto colapho præter omnem expectationem, nullum iniquioris animi signum dedit. Iam verò peregrinationes, & Xenodochiorum ministeria, domesticaque vel humillima quæque munera omnes nauiter obeunt de more Societatis. In spiritualibus exercitijs, quæ ipso nouitatis initio tradi solent, magna omnes cum suauitate versantur ad integrum mensem. De Tirocinij tempore ad superioris arbitrium producendo, quod solet per se aliquid habere molestiæ, iam quicquid moderatoribus placuerit, id sine vlla cuiusquam tergiversatione decernitur.

COLLEGIUM NOLANVM.

IN hoc Collegio quamdiu studia humanitatis fuere, numerati sunt ad quinquaginta, quorum qui ad humaniores litteras incumberent, quinque circiter & viginti, qui etiam in proximos vicos octauo quoque die terni, quaternique dimissi rei Christianæ multum operæ nauarunt. Conciones habuit aliquandiu in pago quodam vnus est nostris magistris Collegij, qui tales aliquando stimulos ad pietatem admouit animis paganorum, ut tantum non omnes in ædem nostram ad peccata confitenda concurrerint. In eodem pago exortem inter patrem, & filium inimiciæ prope iam ad desperationem reconciliationis exarserant. Eos idem frater ut ad concordiam, quam sepe frustra tentauerat, reuocaret, habita concione in cubiculum ad se vocat, nec iam precibus solum agit, ad quas illi callum obdlexerant, sed

sed utroque inspectante procumbens in genua, qua licuit modestia humeros nudat, arreptoque flagello tamdiu se cæcidit pacem orans, donec ambo nouo prædicandi genere exorati in mutuum complexum, osculaque concurrerint. En Xauerij exemplum recenti virtute egregij imitatoris expressum. Alius quem inimici vlciscendi libido triennium iam à diuinis mysterijs absterrebat, eodem fratre auctore ita respuit, vt & inimicum in gratiam reciperet, & sibi diuinam gratiam peccatorum confessione redimeret. Neque verò B. noster Ignatius nihil horum cium miserias è cælo respicit.

QV ID A M adolescentulus ex graui morbo, desperata humanitùs valetudine decumbebat. Accersitus eò confessionis gratia Sacerdos quidam è Nostris, postquam ritè hominem expiauit, dat illi osculandas B. Ignatij Patris nostri reliquias, quas etiam vt secum æger habeat corpori adiectas, monet. Has ille suppliciter primò ad osculum oppressas, statim sibi de ceruice suspendit, seque dedit quieti. Manè postridie inuenitur à medicis ita leuatus morbo, vt tertio die liber ad patriam concesserit: diuinum erga se B. Ignatij Parentis nostri beneficium identidem apertissima prædicatione commemorans. Ea res postea de medici auctoritate, aliorumque qui interfuerant fide, ac testimonio explorata publicis tabulis consignata est, nobisque tradita. Pauperes, & qui detinentur in vinculis adiuuantur distributa viritim stipe, quam ostiatim Nostris coegerint. Adolescens mulierculæ blanditijs labefactatus cum eò iam infantiæ prolici se videret, vt à suscepto religionis ineundæ consilio penè deficeret, quemdam è Nostris consulit, si quàm præcipitantem iam animum à tanto lapsu sustineat. Noster hominem admonet, vt conferat se statim ad summam ædem, vbi S. Fœlicis vrbs Patroni corpus asseruatur, flagitet summis precibus eius sancti præsidium aduersus impudicissimæ foeminae

minæ nefarios conatus:quo ille factò repenti sic animò confirmatus est,vt è vestigio ad cœnobium, cui se antea destinaret aduolarit. Alter ætate grandior, qui per summam impudentiam patri pugnum impegerat, ad eam sceleratissimi facti detestationem à Nostro quodã inductus est, vt prouolutus ad patris pedes manantibus lacrymis impudentissimæ audaciæ veniam postularit, non minore omnium qui aderant admiratione quàm gaudio. Quidam de vxoris fide, ac pudicitia suspiciosus dubitans, eam simul, & opinatum sibi adulterum venabatur ad cœdem: nec longè aberat, quin vtriusque ceruicibus immineret captata iam occasione facinoris: qui tamen vnus è Nostri per suasionem de territus à nefario consilio, vtrique pepercit. Sed admirabilis imprimis visa est, & præclara vox cuiusdam nobilis viri, & hoc sanè digniori historia, quod pari comprobata facinore, Is est vnus ex disciplina Sodaliũ, qui apud nos Deiparæ militant. Hic forte in medio foro palam iniuriosè laceffit ad singulare certamen, licet esset non imperitus armorum, negauit Christiani hominis esse, prouocantis iniuria commoueri. Multæ totius antea vitæ confessiones factæ.

CATANZARIENSE COLLEGIVM.



HABENT in hoc Collegio Socij ferè viginti, in his Sacerdotes decem, magistri duo, quorum alter, qui humaniores litteras docet, Sacerdos. De Societate nostra tanta est apud omnes ciues opinio, quantam facilè declarat maxima confessionum frequentia, eaquæ perpetua, nec solum hominum infimorum, aut mediocrium, sed è nobilissimo quoque

quoque ordine. Prorex, cuius in hac vrbe sedes est Pro-
uincialis imperij, cum fato concederet, sepulturam sibi in
templo nostro delegit, attributis Collegio centum aureis
elemosynæ nomine.

QVOD attinet ad industriæ nostræ fructus, multos
Christo redemimus ex varia scelerum seruitute. Qui-
dam cum libidinis ardorem, nec voluntaria diuerbera-
tione, nec precibus ad Deum fufis extinguere potuisset.
(scædum dictum sed tanta animi magnitudo nullius aurem
erubescere potest) hausit è sordidissimo loco, vorauitque
teterrimam ventris fecem, non ignarus quo se fuco pu-
dicitia vellet oblini: nunc flagrat desiderio nostræ Socie-
tatis. Vnam è cæno lupanaris extraximus, eiusque filiam à
proximo periculo, & quidem nisi Nostri occurrerent,
multis exitio futurâ, perinde vt mater antea fuerat. Do-
mum habebat quidam ab assiduis dæmonum terriculis
infestam, nescius quo piaculo vteretur, cum multa ne-
quicquam expertus esset, Sacerdotem è Nostris, suum
scilicet à Confessionibus consulit; ex eo die tuta homini
fuit à dæmonum terroribus habitatio. Nobilis quædam
foemina, quam grauissimus morbus iam adduxerat in vi-
tæ discrimen, peracta confessione conualuit, quæ res mi-
raculo domesticis fuit. Nonnulli capitali odio dissidentes
ad pacem perducti: in his quidam, qui accepti colaphi
contumeliam prosequi ad cædem vsque decreuerat, nec
à meditato facinore multum aberat. Stipem etiam cor-
rogandam curauimus, qua nupsère nonnullæ pauperculæ,
quarum pudicitia insidiari videbatur inopia. Vna è duo-
deuiginti annorum pellicatu ad veras nuptias traducta
est. Inclusos in custodia publica nostro more reuifimus,
eorumque inopiam, solitudinem, omnemque, vel animi,
vel corporis necessitatem, quantum in nobis est & sola-
tio, & auxilio subleuamus. Eos nuper quædam pestilens
morbi lues miserabilem in modum afflixerat, & quod ca-
put

put est maximo curationis incommodo laborabant, medicos enim, externosque contagionis metus arcebat. Nos eorum saluti nullo loco defuimus. Medicorum accessum à periculo præstitimus, ægris in salubriorem locum nostra opera transportatis. Eorum verò qui ad patibulum adiguntur, nemo est ferè cui nos ad salutare animi solatium præstò non simus: cuius rei fructus incredibilis est: mirum enim quàm bene animati, & quàm bona cum spe salutis Nostrorum hortatu acerbissima supplicia perferant. Quidam in poenam scelerum ferra secandus erat medius; is æstuans non tam metu mortis, quàm dubitatione salutis, quærit à nostro an extremum vitæ tempus salutari peccatorum poenitentia aptum foret, affirmanti nostro, hortanti quæ ad optimam spem animo concipiendam, respondit cum lachrymis se antea ignoratione Numinis eò prolapsus esse dementia, nec sibi quicquam esse maiori dolori, quàm quòd Deum antequam cognosceret, suis flagitijs tam insanè læsisset. Fuit omnibus admirationi tanta hominis mutatio: quippe qui paulò antè atrocissimos in quæstione cruciatus obfirmato ad reticendum animo, sine vlla doloris significatione pertulerat.

IN vicinis etiam locis Nostrorum conciones animorum saluti non minimum opis afferunt. Sex enim iamdudum libidini mancipati pellices eiecerunt. Perductus vnus ad consuetudinem, & conuictum vxoris, quæ toro pulsa, domoque, adulteræ locum dederat. Alius, qui viuente adhuc vxore alteram prudens, sciensque duxerat, post auditam apud nos concionem ad priores nuptias, desertamque coniugem se recepit. Sed illud in primis commemorabile. Nobilis quædam virgo ex ijs, quæ sacris apud nos plurimæ operantur, vniuersam ciuitatem præclari facinoris admiratione compleuit: hæc & claritate generis æquè ac diuitijs pollens, & viduæ matri vnica, iamque nobilis spem omnibus dederat illustrandæ do-

mus amplissimo matrimonio, nec optatus eius spei exitus longè aberat. Iam enim consanguinei opulentissimi viri matrimonium virgini satis idoneum adornabant. Cum illa numinis instinctu rata clâdestino connubio iungi se, cum Christo cœlestes nuptias clam omnibus suis iniit. Etenim in secreto conclauj ad Christi de Cruce pendentis effigiem prouoluta præcisam sibi sua manu comam ad illius claudos appendit, dotem pro æterno coniugio, cumque illi virginitatem suam voto inibi despondisset, statim religiosam vestem quam sibi ad id occultauerat, induit. Talem se ante matrem nil tale cogitantem perhilari vultu sistit. Exclamantem, eiulantemque subitis clamoribus, admonet, vel diuinam voluntatem agnoscat, vel desperatione humani connubij pro solatio, si velit, vtatur. Quidã adolescens cum sæpius à S. Iosepho duci sibi videretur in templum nostrum, ratus id sibi esse diuinæ vocationis iudicium, libenter id consilij cepit, vt se in Societatem nostram admitti vellet. Constituta pax inter vtramq; partium, quæ graui dissidio totam ferè ciuitatem diuiserant. AEdificatio nostri templi, quæ aliqua difficultate temporum intermissa erat, reperita est aliquando summa ciuium gratulatione. In id opus præterquam quod nonnulli nobis ad materiam comportandam hi boues, hi vehicula commodarunt, trecenti etiam aurei à priuatis ciuibus erogati sunt. Ad rem verò familiarem Collegij facta est accessio quadringentorum aureorum, quos in emendum nobis prædiolum nobilis quidam ciuis impendit.

IN vicino etiam oppido vernæ cuiusdam è nostris conciones salutem plurimis attulerunt: Perducti enim nonnulli ad bonam frugem, qui diuturna scelerum consuetudine contabuerant. Compositæ grauissimæ lites, atque discordiæ: in his vna, quæ inter duas præcipuas familias orta totius penè ciuitatis viscera detrahebat. Duo fratres grandem pecuniam ab ipsorum patre verbo legatam

gatam, nullis præterea monumentis testatam Christo debebant re illi aliquamdiu suppressa: quippe nemine conscio, simul ac nostrum audire concionantem, sponte sine ulla cunctatione conscientiam cælati criminis profitentes pecuniam publicis tabulis consignarunt, ut sic omnem sibi fordidissimæ fraudis facultatem abscinderent.

I A M è nostris Sacerdotibus excepti, ut speramus, in cælum duo, nisi quod eorum alter plurium instar. Is fuit Io. Matthæus Lógo huius collegij Rector, haud dubiè ad regendi munus à natura factus, & institutus: mitissimo vir ingenio, atque ad eorum quibus præerat voluntates, vel tractandas vel demerendas aptissimo. Funus magno civium concursu celebratum populo collachrymante, vniuersoque vrbis clero ad iusta concinente nobiscum alternantibus choris. Nec minore civium luctu alteri parentatum, quem verè parentem ciuitas agnoscebat, ei nomen P. Ioannes Marfredus erat, qui duodeuiginti annos in hoc collegio vixerat, non sine laude sanctitatis: civibus ita charus, ut eiulatum non modò gemitum ederet multitudo, quæ ad funus infinita concurrerat. In primis illi religiosa vita, & summa cum cæteris æqualitas, omnium laborum, ac munerum cordi fuit, sic ut nihil in conuictu exinimum, nihil singulare requireret: quamvis eum & superiorum facultas, & necessitas infirmissimæ valetudinis ad præcipuam victus rationem vocaret, & facile ab omni Societate domestici laboris exciperet. Quidam in eundæ Societatis nostræ percupidus, cum à patre adigeretur ad nuptias, profugit domo paterna, nec prius rediit quàm periculum nuptiarum effugeret. Sedatæ præterea multæ dissensiones, quæ diuturnis iam odijs confirmatæ nimis altè radices egerant, & quidem nonnullæ inter quosdam sanguine coniunctissimos. Hæresis quoque periculū quod à cœnobita quodam clari nominis imminabat,

bat, Nostrorum vigilantia propulsatum est, Episcopo diligenter & mature præmonito.

COLLEGIUM ALETINVM.

CONSENTVR in hoc Collegio Socij ferè quatuor, & viginti, in quibus Sacerdotes duodecim, Magistri quatuor, tres humanioris litteraturæ, vnus Philosophiæ, præter conscientiæ disciplinam, quæ in templo traditur. Est omnium industria, domi forisq̃ fructuosior, quàm pro tali capitum censu: & rei quidem litterarię cursus idem, qui superioribus annis: cæterùm Christianæ rei progressus in dies maior. Ab audiendis confessionibus, cæterisque muneribus obeundis vix necessaria Sacerdotibus quies datur. Similitates, discordiæ, inimiciæ sedatæ sunt, & graues, & multæ.

SODALITATES, quæ apud nos quinque celebrantur, Sacerdotum, virorum nobilium, adolescentum, puerorum, artificum, augentur in dies magis & numero, & pietate. Ex his septem in diuersas Religiosorum familias cooptati. Christianæ doctrinæ rudimenta, non modò in templo nostro, sed passim per urbem explicant sex è Nostris in suo quisque sacello. Mitto confessiones ab vltima memoria repetitas, quarum numerus longam requirit historiam. Subuentum quandoque laborantibus, vel in Nosocomio, vel in custodia: vtrinque relatus is fructus, qui industriæ nostræ proprius. Bacchanalibus, quæ haberi solet supplicatio triduana, celebrata est frequentissimo concursu ciuium, quos & pietas, & apparatus, & scilicet Musicæ suauitas allec̃tabat. Duæ mulieres quadringentos

nobis aureos testamento reliquerunt: mille, & quingentos largita est ciuitas summo omnium magistratum, ciuiumque consensu.

FUIT quoque vicinis oppidis vtilissima Nostrorum excursio: quoquo aditum, eo tum sacramentorum frequens vsus, tum solemnis mos tradendæ doctrinæ Christianæ festis diebus inductus est; multorum animi totius vitæ maculis expiati. Instituti Sacerdotes ad rem Christianam nauiter sciteque curandam. In sanandis animorum vulneribus ita strenuè laboratum, vt audiendis confessionibus non modò dies, sed noctes etiam magna ex parte consumerentur. His rebus in vicina vrbe tantum apud ciues gratiæ initum, vt & nos statim in ciuitatem cooptare decreuerint, & Nostris cum discessum iam adornarent, obseratis portis exitum prohibuerint, vsque dum de certo reditu fidem darent. Illud verò præcipuum, ac propè diuinum in his missionibus accidit, quod multorum confitendi cupiditas expleri non poterat, tantam se animi voluptatem aiebant ex sacra peccatorum expiatione percipere. Depulsa nonnullorum toris adulteria, quæ vel vtriusque coniugum consensu, vel alterius dolo committebantur. In primis duæ, quarum pudicitiam ipsi coniuges venalem habebant, Christo redemptæ nostræ operæ pretio. Graues quoque lites, quarum compositio desperata iam erat, Nostrorum tamen auctoritate compositæ. In castro quodam cum à nostro Sacerdote, pro concione explicarentur illa verba orationis dominicæ (*Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*) narrant quotquot erant in eo castro discordias, illa vna oratione sublatas. Denique quacunq; excursum tanta omnium erga nostros pietas excitata est, vt eos palam diuinis Angelorum, sanctorumque nominibus appellarent. Quidam ex alieno oppressus, cum eo se leuari vnquam posse diffideget, vxorem ipsam debiti vicariam prostituerat credito-
ri, qui

ri, qui eam vicem pro ære depoposcerat, exigebatq; iam in dies auidius vsuram quotidiani flagitij. Octauum iam annum in eo commercio versabantur, hunc libido, illum necessitas, illam quoque nisi quid turpius animi remissio, & dissolutio obcecabat. Eos cum quidam è nostris flagitij commoneret, excusabat inopiam debitor, vxor imperium viri, creditor pecuniæ magnitudinem, neque enim è re sua esse dicebat, mille aureos, quos pro viro suæ pellicis dependisset, amittere: proinde alienam sibi vxorem tanto pretio redemptam iure deberi, præsertim altero coniuge non inuito. Pugnatum hic à nostro cum hominis pertinacia ita strenuè vt ille ad extremum salutari consilio victus, iamque adulterij consuetudinem detestatus, profusis lachrymis totius vitæ maculas confessione detulerit. Idem simul fecere coniuges, quos paupertas ad arcana coniugij tam nefariè vulganda compulerat. Alia quædam honesti hominis coniux deserto viro apud patrem sibi turpiter indulgentem, tertium iam annum prostabat adultero, virumque à quo metuebat impudentiæ pretium, fugiebat, ea iam ad honestatem, virique concordiam ita redacta est, vt etiam ipsi adultero, qui funem de collo suspensum gerens veniam suppliciter petijt, parceretur: nec tamen à negotio destitutum ante omnium conscientias generali confessione purgatas. Alter cum maleficio impeditus operam liberis dare non posset, contenderetque posse salua religione fieri vt maleficio maleficio tolleretur, victus est à quodam è Nostris, vt eam mentem deponeret, quin potius funderet ad Deum preces, & sacra mysteria per mensem impensius celebraret, sic enim præsto ei fore diuinam opem; quod ille consilium dum libenter exsequi perseverat, sacrisque iam frequentius operatur, expectatum illi operis pretium diuina liberalitas representauit, nondum enim exacto mense hominem voti compotem fecit. Sed illud maius & pro-

cul dubio diuinum miraculum. Puella recens nupta conspectum viri, quem omnibus prodigijs, dirisque tetriorem sibi esse aiebat, ferre non poterat, cum tamen antea mirus inter eos amor intercessisset: Eius mali remedium puellę pater à veneficis iam dudum petebat magna impensa, nullo effectu, quo audito quidam è Nostris hominem adit, eumque primò obiurgat, quòd ad dęmonem profligandum, dęmonis arma quęreret: mox omnes bono animo esse iussit; sperandum à Deo, quod à Dei aduersario frustra peterent: hortatur vt peccata ritę confessi sapius cęlesti pane reficiant se, idque per mensem vnum. Cum illi se ad id faciendum paratissimos esse dicerent; Noster audita virginis confessione, ceream illi cęlestis agni effigiem donat; non ita multo post cum sponsus puellę domum ingrederetur, ecce tibi niger coluber consutis oculis, albisque filis quasi catenulis distinctus, per pauimentum non sine aspectantium horrore serpebat, quem vbi sponsus occidit, discussum illicò maleficium euauit, virgoque iam reprehenso erga virum amore pristino vrgeri cępit celebritatem nuptiarum, quę antea execrabatur.

N E C illud nihil habet miraculi quod in his locis missionum initia semper aditum abstruente diabolo aliquid desperationis habebant. Vbique enim ferè negabant initio oppidani Nostrorum operam posse sibi esse frugiferam, neque enim facultatem suam Nostris ad hospitium, victumque suppetere: ciues præterea omnes varia occupatione distentos, atque in vites, artesque dispalatos nihil ad conciones celebrandas habere vacui temporis, nec facillè fieri posse vt eorum multi ad templum eodem tempore cogerentur. Ad hæc Nostris sedatè, & comiter tantum illud obijcere, negotij tam difficilis, quàm ipsi dicerent, tentari posse experimentum sine vilo incommodo; multis enim in rebus spem falli, in multis metum, & quidem

quidem perrumpente primos aditus patientia, sic omnia statim procedere, vt pietatis cursum Numinis ductu regi facile appareret.

MISSIO NARDONENSIS.



ARDONE in vrbe proxima Nostri concionatoris beneficio multorum saluti præclare consultum est. Mitto illa communia, restitutiones malè partorum, sedationes discordiarum, confessionum celebritatem, compositiones litium, rerum malè contractarum retractationes, quæ non tam dignitatis æstimatione, quàm nostræ Societatis consuetudine vulgaria sunt. Cæterum inter ea, quæ præcipuam narrationem postulare videntur, illud maxime commendandum crediderim, quod Quadragesimæ tempore ter vniuersa ciuitas sacro se confessionis fonte lustrauit; cuius rei vtilitatem, nouitatemque etiam alij cœnobitæ non sine magna nostri ordinis commendatione commemorant. Quidam infandæ libidinis notam suonomini per summum nefas inustam abolere obstinauerat sanguine sui vituperatoris, eumque iam summa ope adhibitis insidiatoribus quærebat ad cædem, qui tamen ab ea mente Nostri cuiusdam Patris hortatu ita deiectus est, vt Christi causa omnem iniuriam voluntaria obliuione contereret. Liberiores aliquot cœnobitæ consilium cepere, vt ad alias correctioris disciplinæ familias se conferrent, idque iam agunt. Complures à nefanda multorum annorum libidine, ad summam eius vitæ detestationem adducti, octauo quoque die communicant, seque acerbissimo ætatis tam turpiter actæ odio mulctare non

desinunt. Duo, qui se per biennium nunquam simultatis causa consalutauerant, audita concione de inimicis diligendis, statim cum exierunt à templo se inuicem salutarunt, congressi que non sine multorum admiratione, atque lætitia colloquentes abibant. Concionum is quoque fructus non exiguus fuit, quod multi, qui foundationem Collegij Nardonensis oppugnabant, eam nunc mutata voluntate adiuuant, procurant que. Tres veteri odio dissidentes insigni exemplo in mutuam gratiam restituti, quam recens acceptorum grauium vulnerum memoria in desperationem adduxerat. Nonnulli qui alienos agros prolatis suorum limitibus clam irrepsierant, ad fines suos reducti, legitimis possessoribus de fraude communitis. Vnus patruū necem vlcisci iudicio cum facile posset, noluit, coniectum que iam in vincula propter leuiores quædam facinora inimicum, vrgere iustissima criminatione, id ipsum alijs suadentibus, ita recusauit, vt piam pacem iustæ vltioni prætulit. Cines quidam è prima nobilitate, qui grauissimè aliorum famam per incuriam violaauerant, palinodiam cecinere summa cum æquitate: vnus etiam cum voluptate animi tanta, vt profusis lachrymis Deo gratias ageret apud nostrum concionatorem, quod se ad id consilium compulisset.

BARRENSE COLLEGIUM.



HOC Collegium etsi in summa rei familiaris difficultate versatur, habet tamen minus æris alieni, quàm antea. Cæterum res Christiana præclare geritur. In vicina vrbe sedata est à nobis grauis quædam, & pernitiōsa seditio, quæ inter Clerum,

Clerum, & reliquos ciues concitata, vniuersæ ciuitati exitium minabatur. Odiâ etiam restincta, quæ colaphi contumeliam consecuta, non alium exitum videbantur habitura quàm eadem. Quadräginta horarum comprecationi, quæ apud nos bacchanalibus de more habetur, interfuit honoris causa Polignanensis Episcopus, qui postquam rem diuinam pontificio cantu fecit, luculentam habuit concionem magna omnium approbatione, sensuque pietatis. De confessionum fructu satis est nouum quoddam à Deo testimonium nobis datum. Quidam enim cum oppressus animi mœrore solus per campestria vagaretur, incidit in hominem eximia oris dignitate præditum, sed habitu vestis asperiore, quasi hominis in eremo viuentis, qualem in ea regione vidisset antea neminem. Ab eo cum humaniter appellaretur, rogareturque cur ita mœstus in ea solitudine ambularet, quidve secum agitareet pleno mœroris animo, obstupuit primò, tum alienum hominem conscium sibi esse suæ mœstitiæ, tum liberius iam congressus, narrare cepit erumnas suas, calamitatesque in quibus miserè versaretur. Hic verò ignotus hospes: At quæ tandem (inquit) origo calamitatum tuarum? nescio, inquit ille. Ego verò (subdit hospes) haud nescio. Satin' illud tibi venit in mentem? hic peccatum nominauit, quod ille multis annis ante commissum nunquam in confessione aperuerat, quod tamen fuerat memoriæ vitium. Age (inquit ignotus monitor) Iesuitas adito, eos, quid facto opus sit, consule; in primis expia de illorum consilio conscientiam apud ipsos tuam, & diuinam in te agnosce benignitatem, quæ adhuc tibi maius aliquid præparat; quæ cum dixisset euauit. Iuuenis ad nos statim accurrit, rem narrat, peracta vitæ confessione discedit; quod ita subitum fuit, vt nulla nobis hominis cognoscendi, vel de ea re iterum percontandi facultas fuerit.

COLLEGIUM CONSENTINUM

anni 1598.



HABUIT hoc anno Consentinum Collegium Socios vnum circiter & viginti: tribus politioris litteraturæ gymnasijs additum est hoc anno quartum Philosophiæ, postulante ciuitate. Tribus etiam Sodalitijs, quæ antea erant instituta, quartum accessit clericorum, idque rogatu Archiepiscopi, qui pro ea qua ad custodiendum Christi gregem excubat vigilantia, non facile quemquam patitur ad Christianam Rempubicam nisi optimè institutum accedere. Tanta est apud omnes in hac vrbe, & in tota vicinia Societatis nostræ auctoritas, vt quidquid ad Christiani hominis officia pertinet, id nostro potissimum consilio vbi que geratur, nec solum foenerandi libido coercita est, sed maioribus occursum, incommodis: mors enim quadam de causa quibusdam foeminis imminens, opportunè depulsa. Sedatè inter nobilissimos ciues inimicitia, quæ ad perniciem cædemque spectabant. Aliquot vulgati corporis mulierculas Christo lucrifecimus, quarum nonnullæ tantum ex Nostrorum monitis hausere castitatis amorem, vt eam ne amplius violarent, mulctari se acerrimis verberibus facile paterentur. Quædam cum à Sacerdote nostro didicisset se, si castitatis tuendæ causa interficeretur, salutem animæ consecuturam, etiam si sacræ confessionis omninò expers occumberet (hoc enim illa in simili consuetu antea dubitauerat) mirum, quàm forti animo, atque alacri se ad mortem pro castitatis custodia, si opus esset, accinxerit. Quidam cum maleficio obstrictus esset
in pel

in pellicatu, ducta in matrimonium pellice, continuo se solutum sensit ac liberum. Plena erat ægrotantium quædam domus, cum pater familias iussit omnes peccata confiteri apud vnum è Nostros, quo facto statim maleuolentibus melius esse cœpit. Itaque solemne iam est in ea familia morborum initijs confessione peccatorum occurrere.

MANAT etiam ex alumnis disciplina nostræ aliquid ad proximos vtilitatis, vnius enim è quodam oppido discipuli nostri exemplum, exhortatioque magnam partem oppidanorum ad piam viuendi rationem attraxit, ex quo summa laus in nostrum ordinem redundauit. Duo præterea fraterculi ex auditoribus scholarum nostrarum, cum Patrem sacræ confessionis (vt assolet) infolentio rem haberent, quotidianis illum clamoribus cœgerunt, vt apud Nostros, quorum ille aures dudum horrebat, peccata confiteretur. Malefici, qui morte plectuntur, vltimo à nobis solatio, moniti que ad id tempus idoneis adiuuantur: nec vinctis in custodia publica desunt à nostris Christianæ vitæ subsidia: denique non modò apud ciues, verum etiam apud Prouinciales vniuersos ea est de nobis opinio, vt omnes ferè curandis animis opem à Nostris petant, & si qui minus in vita, certè omnes in mortis periculo nostram sibi operam aduocent.

CONSENTINOS siue multitudinem spectes, siue Christianæ disciplinae necessitatem, cum India conferre non dubites. Eò se Nostrorum industria cum effundit, incredibile est, quam vtiliter syluescentem Christi vineam excolat, neque vllus est tam difficilis, atque arduus labor, quin præ fructuum vbertate perexiguus videatur. Excipiuntur vbique Nostri magna vniuersorum lætitiâ, cessant operæ illorum aduentu nunciato, pulsantur in lætitię signum ex ea campana. Rustici ex agris in urbem ad templa conuolant. Pastores conductis, qui pro se

gregem interim custodiant ad conciones audiendas accurrunt. Latrones ipsi, & fugitivi Nostros adeunt, consulantque, si quam veræ salutis viam insistant. Hic verò tanta confessionum utilitas, tanta diuini verbi, vel audiendi voluptas, vel exequendi celeritas, & constantia, quantum qui oculis non subiecerit, difficile cogitet. Neque unquam Nostros pagani prius discedere patiuntur, quam omnium confessiones exceperint. In discessu certatim aliorum pagorum nuntijs aduocantur, coacti semper aliò aliunde concedere.

I A M nullus est ferè pagus, in quo non sit aliqua constituta Societas hominum, qui se ad certam colendæ pietatis legem aggregauerint, cuius rei approbatio, admiratioque omnium nobis animos in dies magis adiungit. Erecta est, & altera quædam quasi sodalitas mulierum, eaque festis diebus in templo publicè apertis ianuis celebratur. Hic mulieres relatis in codicem nominibus certum sibi institutum indicunt Christianè viuendi, & statis diebus confitendi, & communicandi, quæ res mirificum in mulieribus excitauit studium pietatis. Affirmat quidam visum sibi esse per quietem Sanctum Franciscum à Paula insignem illum Calabriae nunc indigentem, olim indigentem, ab eoque se esse monitum, vt vniuersæ vitæ delicta confiteretur apud alterutrum è Iesuitis, quos eò propediem dicebat esse venturos. Habuit prædictio celerissimum exitum: postero enim die, præter omnem expectationem, Nostri apparent, quò ille libentius datum sibi diuinitus de generali confessione mandatum, sine vlla mora perfecit. Mulier obsessio iam pridem à dæmonibus corpore, adhuc miris modis exagitur: tamen ob eam causam (vt ipsi dæmones aiunt) quod illa cum ossitaret, hianti ori signum Crucis non adhibuerit: eam nunc terribissimi obsessores non modò minis, sed etiam vulneribus absterrent à nostro templo, nec illa tamen si libertatem

tem.

tem amisit, patientiæ fructu caret. Septem se esse dæmones ipsi dicebant, qui mulieris corpus aggressi essent, sed vnum cælesti pane mulieri dato statim aufugisse, quod solus ille propter insignem nequitiam (nam hoc quoque dæmones affirmarunt) præter cæteros Christi præsentiam horruisset.

COLLEGIUM SALERNITANVM.

SALERNI tredecim ferè Socij habitant. Ex his Sacerdotes quinque, Præceptores duo. Munerum nostrorum vtilitas eadem, quæ superioribus annis. Adeuntur Nosocomia, custodia, pagi, fructus vndique non poenitendus excipitur. Discipuli, viri nobiles, opifices in suo quique sodalicio dant nobis operam diligenter æquè, atque vtiliter. Sæpè corrogatis à se pecunijs multorum inopiam subleuant, pauperibus duodenis abluunt pedes, ipsosque de integro vestitos, dimittunt; nec cætera pietatis officia negligenter exercent. Eorum vnus accepti colaphi iniuriam obliuisci maluit, quàm vlcisci, cum tamen vltionis summa offerretur occasio. Bacchanalibus solemnes quadraginta horarum preces habentur præsentente Prouinciali Prorege, nec ad eam rem studium populi nobis deest. Qui ad mortem trahuntur, hos Nostri ferè vltimis charitatis officijs prosequuntur. Compositæ dissidentium partes, in quas ciuitas ferè tota discesserat. In templi ædificationem vnus ciuium trecentos, alter quingentos obtulit aureos, alius mille pollicetur ad extructionem sacelli. Adolescens quidam è Parthenijs nostris cum infensam sibi mulierculæ procacitatem, libidinemque fregisset, statim ad Sodalitium

litium accurrit, & quam de foedissimo hoste victoriam reportarat, Beatæ virgini acceptam retulit, quin etiam in signum grati animi flagello acriter se ipse pulsauit. Alter ingerentem sibi dæmonem libidinis foeces, nec vlllo abstinentem repulsi, tandem teterrimi odoris olfactu, gustuque foedissimarum rerum abegit.

A DOLESCENTVLVS quidam apud nos literis expolitus, cum ab ipso penè Societatis nostræ aditu, quem sibi multis precibus patefecerat, resiliisset, reuocatus à consanguineis, cumque de sententiæ mutatione cum quodam e Nostri in colloquium incidisset, repente inibi, dum maxime admonetur, feбри corripitur, quæ deinde, cum ad interitum ingrauesceret, diuinam ille ultionem agnoscens, parentes inculcat primò, quòd se à salutaris vitæ cursu ad animi corporisque perniciem reuocassent, tum illis annuentibus, reprehensum Societatis incundæ consilium voto sanxit, continuò Nostros accersit: rogat sibi ne desint supremo iam tempore, satis se iam agnoscere vitium ingratis animi aduersus Deum, ac Nostros, quare ignoscerent inconstantia puerili, seque licet indignum tanto beneficio, tamen resipiscentem iam tandem in Societatem adsciscerent, nec tantum morientis desiderium aspernarentur: sibi enim præsens periculum optimum futuræ vitæ magistrum fore, si viueret. Scriptum statim de adolescentis petitione Neapolim ad Patrem Prouincialem: Responsum, vt homini satisfaceret. Ille re impetrata lætus paulò post emissa Societatis vota decessit.

COL

COLLEGIUM BAROLITANVM.



SEDECIM è Nostris in hoc Collegio commemorantur, in his Sacerdotes septem, Magistri duo. Omnes egregiè pro suo quisque munere ad rei Christianæ procuracionem incumbunt.

Ex rebus gestis hæ videntur excellere. Mulier quinquaginta iam annos nata, & ad eam ætatem inter hæreticos alienissimis ab omni religione moribus innutrita, ad extremum inueterata in iam sacræ confessionis in solentiã ita correxit hortatione Nostrorum, vt pœnitentię sacramentum statis diebus repetat. Quatuor malefici, qui vltimum supplicium periniquo animo adibant, Nostrorum admonitionibus ad tantam animi æquitatem adducti sunt, vt multò mitius, quàm promeriti essent, agi secum putarent, optarentque se præter iuris decretum per urbem raptari, candenti que forcipe sua membra conuelli viua, concidit etiam mortua, atque discerpi, idque non simulatis precibus à Iudice vltro contenderent. Nec minimum negotij fuit duas è ciuitate discordias tollere, alteram, quæ totam ferè ciuitatem intestinis odijs iam incenderat: alteram quæ vsque eò processerat, vt desperata reconciliatio videretur. Multorum inopiæ, ac solitudini subsidio fuimus, quos caritas annonæ non sine aliqua salutis desperatione premebat.

QUIDAM graui morbo laborans, sed animi peste grauius, cum de medici mandato cuidam Sacerdoti peccata confessus esset, mortem opperiebatur in horas singulas, cum ecce tibi manè post quietem, Sacerdotem quædam è Nostris magnis vocibus nominatim inclamat, eumque accersiri quamprimum iubet: actum enim esse de

esse de se nisi ille adsit auxilio, qui statim atque accersitus accurrit, æger mutato vultu, ac propè læto, hominem erumpentibus lachrymis orat, atque obsecrat, saluti suæ iam præcipitanti ne desit, excutiendum sibi esse dæmonis iugum, quo iam dudum miserabiliter vinctus, atque oppressus erigere sese ad spem salutis haud poterat. Noster hominem consolatus admonet, vt totius vitæ crimina diligenter confiteatur, nullum illi efficacius fore tanti mali remedium. Quo ille factò tantam spem animo percepit sempiternæ salutis, vt propè iam cælestis vitæ lætitiâ representaret homini expectatio proximæ mortis. Aderant morienti familiares, & veteris vitæ socij, quos ille acerbis verbis reprehendens, hortabatur, vt à flagitiosa vita desisterent, & veræ salutis viam, à qua longissimè aberrassent aliquando repeterent. Illud præterea identidem commemorabat, quantum Iesuitis debet, per quos sibi cœleste domicilium patefactum aspiceret. Inter hæc bonæ spei plenus, hilari vultu expiravit.

NOBILIS quædam meretrix nostris suadentibus cum pudore nuptias pepigit, cuius formæ præstantia commune iuuentuti præcipitium fuit. Ea nunc amantior castitatis, quàm fuit ante libidinis, antea actæ vitæ supplicium sumit ex sese ipsa piaculari victus asperitate, vltimè frequenti sacramentorum: nec magnum, si corporis cruenta verberatione, quando etiam (quod maius est) summo contemptu delectatur ornatus, ac pigmentorum, quibus venenata olim pulchritudine vniuersorum oculos, atque animos vulnerauerat. Est illi adhuc infesta procacitas multorum, eorumque nobilium virorum, atque potentium, sed quæ omnes ante pellexerat, eadem omnes nunc reformidat, abigitque ab sese constantissimo animo. Eam quidam è pristinis amatoribus noctu per fenestram inuasit dormientem inter duos filios, quæ ad notam hominis vocem expergefacta profilit repenti ad preces

preces Deo fundendas; subit illicò animum confirmat-
 que S. Lucie virginitas diuinitus olim defensa contra
 nequissimam procorum insaniam, simul eius virginis o-
 pem aduocat fidentissimis precibus, se quoque Christo
 domino esse desponsam, licet secundis nuptijs, amore
 tamen ardenti, constantique: proinde impetrat à
 communi sponso præsentis periculi foelicem euentum:
 Fortunet animi conatus castitati fideliter militantes.
 Hæc ad momentum temporis, vt in summo discriminis
 articulo. Tum ad prædonem supplex conuersa: Oro, in-
 quit, obtestorque te per effusum Christi sanguinem, ne
 istam in me amoris crudelitatem exerceas, castitatem,
 quam tibi infoelix diripiendam antè tradidi, iam Christo
 dicaui, ac voui, sine obsecro me fidem seruare, quam dedi
 cælesti sponso, & Christi torum, quem appetere ausus es,
 commaculare ne audeas. Ad hæc iuuenis obstupescente
 magis, quàm deferuescente libidine, abstinit: mox Iesuitas
 increpans, iratus abscessit. Mulier summo manè ad tem-
 plum aduolat. Deo quod se à nocturno diabolo liberaf-
 set, grates agit, animumque ad summa omnia pro castita-
 tis custodia paratissimum recenti culparum confessione,
 ac cælesti pane confirmat. Eadem cum libidinis faces à
 dæmone per noctem animo iniectas extinguere labora-
 ret, ad summæ hyemis algorem nudum corpus exposuit,
 repetitumque acri flagello tamdiu afflixit, donec flamma
 lasciuie defauiret.

COL

COLLEGIUM THEATINVM.

THEATI nuper fata Societas adolescit perpetuis incrementis: & quidem omnium rerum bonos exitus ominantur initia. Hic è Nostris non plus undecim curant. Summa nos complectuntur benevolentia omnes ciues, nullo (quod vix alibi contingit) excepto. Neque Proregis Prouincialis studium desideramus, neque Sacrorum Antistitis, qui Seminarij sui alumnos magistris nostris operam dare voluit. Ciuitas verò ad templi ædificationem mille nobis aureos erogauit. Externi qui apud nos, vel in scholis ad litteras, vel in Sodalitijs ad pietatem informantur, suos quique progressus faciunt, scilicet in dies maiores. Tres erectæ sodalitates, quarum vna artificum. Gymnasia duo, nec discipulorum frequentia, nec sodalium deest. Ex hoc genere tres in nostram Societatem, totidem in Capuccinorum familiam cooptati. Rudioribus Christianæ Doctrinæ rudimenta traduntur, & ad cogendos conuentus spirituales cantiunculæ per cõpita decantantur à pueris prælato vexillo. Est etiam valde frequens ad Christi mensam concursus conuiuiarum inuitantibus nobis. Duo viri primarij, qui mutuis ardebant odijs, cùm nostrum aliquando Sacerdotem audiissent verba facientem de voluntarijs afflictatiunculis, ac pœnis eorù qui ad Sodalitiam nostram ventitant, ita commoti sunt, vt statim alter ad alterius pedes osculandos certatim acciderint. Nec est prætereunda insignis quædam pacificatio duorum magistratuum, quorum dissentio graue aliquod exitium prætendebat: eorum pacem vnus è Nostris à se composi-

tam,

tam, testatam relinqui iussit apud optimum sequestrem, Prouinciæ scilicet Proregem. Munus populo dedimus, iucundum drama, simul & discipulis præmia, Proregis munere comparata. Fratrem quemdam à fratris, virum etiam ab vxoris capitali odio reuocauimus. Vnam quæ propter impudicitiam à viro defecerat, ad legitimum torum reduximus. Duas quibus propter violatam matrimonij fidem cædes imminebat à viris, in gratiam coniugum restituiimus. Nec paucis pœnitentiæ sacramentum totius vitæ scelera confitentibus impertitum. Cum fortè quidam è Nostris pro concione veneficiorum vsus acriter obiurgasset, vnus qui veneficâ apud se in occulto habebat, audita concione continuò illam prodidit, plectendamque iudicibus tradidit.

C O L L E G I V M

A Q V I L A N V M.

RIMITIÆ sunt hæ vineæ Aquilanae, quæ nuper à nobis coli cœpta non exiguis fructibus remuneratur industriâ. In primis in erudienda iuuentute perutiliter laboratur, nec solum disciplina politioris orationis, quæ tribus classibus continetur, verùm etiam philosophandi scientia traditur, redundante Gymnasiorum frequentia. Externi ad nos discipuli ventitant, non à vicinis solum, sed etiam à remotioribus oppidis, nec minus ad litteras in scholis, quàm in Sodalitijs ad pietatem proficiunt. Nobilium virorum Sodalitas instituta, quæ suos quoque processus habet. Adolescentium mores disciplinæ nostræ beneficio ita correcti sunt, & expoliti, vt nunc demùm in ijs verus humanitatis, non modò pietatis cultus eniteat, idque palam iam omnium iudicio confirmatur. Ea sola res, vt diuinum est

benemerendi studio inuidiam propulsare, facillè inuidorum contumaciam fregit, omniumque in nos vel ciuium, vel externorum beneuolentiam, admirationemque conuertit. Itaque omnis iam obrectatoribus adempta facultas nominis nostri contumeliosius vsurpandi. Vocantur à vicinis oppidis summo studio nostri ad exercendum Christi nouale. Sed cultorum inopia laboramus; non enim amplius duodecim è Nostris hìc habent.

PROFESSORVM

DOMVS BENEVENTANA.

BE NEVENTI nuper instituta Professorum domus maiora in dies incrementa suscipit. Magna est Archiepiscopi beneuolentia, & liberalitas erga nos: is ædes nobis ære suo coemptas in optima vrbis parte ad habitationem dedit. Bibliothecę suę partem nobis aliquam donauit, reliquum quod est librorum, id quoque destinatum nobis esse affirmat. Hìc munera Societatis in primis salutaria fuere non solum vniuersæ ciuitati: sed vicinis etiã oppidis, quæ à Nostris concionatoribus peragrata multum lucis acceperunt ad dispiciendam veræ salutis viam. Puellæ in extremum vitæ discrimen adductæ quidam è Nostris ea dexteritate subuenit, vt sacre confessionis beneficio etiam periculum necis imminentis auerterit. Nec minori fuit exemplo extinctum nostra opera graue quoddam fraternæ dissentionis incendium. Casus conscientie in æde maxima explicari cœpti sunt à quodam è Nostris, quæ res tum propter eius disciplinæ utilitatem atque præstantiam: tum propter Doctoris egregiam facultatem, Societatis nostræ nomen apud omnes ciues mirifice commendauit.

PRO